





DISSERTATIO IVRIS FEVDALIS SAXONICI

DE

SIMVLTANEA

INVESTITVRA

FOEMINIS

IN FEVDO FOEMININO

AD SVCCESIONEM NECESSARIA

QVAM

PRAESIDE

GODFR. LVDOVICO MENCKEN

ICTO

P. COLLEGIORVM QVAE VITEMBERGAE FLORENT
IRIDICORVM OMNIVM, NEC NON IVDICII DVCALIS
IN MARCHIONATV LVSATIAE INFERIORIS

ASSESSORE

IN AVDITORIO ICTORVM

D. IVN. A. MDCCXXVIII.

TVEBITVR

IOSEPHVS GOTTHELFF MANTIVS

BVRKHARDSWALD. MISN.

VITEMBERGAE, LITERIS VIDVAE GERDESIAE.

177
22

DISSERTATIO IN RE PUBLICA SACRIFICIA

DE
SIMULACRIS

INVESTITURA

FOEMINIS

IN FIDUCIA DOMINIO

AD SECESSIONEM NECESSARIA

QUAM

WILHELMUS

GODEFRIDUS LUDOVIGO MENCHEN

ICTO

IN ABBATIA S. MARTINI ABBATIS FLORENTINUS

IN MARCHIONATU LUSATIAE INFERIORIS

ASSESSOR

IN ABBATIA S. MARTINI

A. M. D. C. C. C. X. X. X. I. I. I.

TEBILIV

IOSEPHVS GOTTILIF MANNIVS

BYRNHARDWARD, M. S. N.

VITAE MURGENSIS LIBRIS VIDVAE GERDESIAE





Q. D. B. V.

I.



Ex quo incognita ab initio in feudis successio inualuit, feudaque transmitti coeperunt, *l. f. 14. §. 1. ii. f. 23. 33. & 50.* eadem tamen haereditaria aut uniuersalis dici haud meruit, quin potius singulari inuestiturae lege innixa peculiaris. Scilicet quod introducta deuolutione primum filii, dein nepotes, post ulteriores, demum ex latere iuncti a primo acquirente descendentes succedere possent, nouo semper iure effectum. *l. f. 1. §. 1. 2. 4. iunct. l. f. 20. & ii. f. 23. 31. 50.*

A 2

Ascen-

4 DE SIMVL TANE A INVESTITVRA FOEMINIS

Ascendentium mansit incognita successio. Adeoque, nec hodie, nisi pacto specialiter sibi prospexerint, successiois feudalis capaces sunt. *Saxonico iure*, nec ascendentes, nec collaterales, obtinendae spem habent successiois in feudo, nisi hanc per simultaneam investituram, *Mitbelehnenschaft* / quaesierint ac obtinuerint. *Lehn = R. c. 21. & 32. Torgau. Auschr. d. A. 1583. Tit. Welchergestalt die Agnaten und Mitbelehnerten §. Dieweil denn / SCHILT. ad Jus Feud. Alem. cap. 65. §. 2. & 3.*

II.

Quae de personis in feudi successioem admittendis dicta, ad mares pertinent. Foeminae enim feudali iure regulariter habiles non sunt successores, quippe quae nec ad bella gerenda, 2. f. 36. nec ad idonea circumspectaque suppeditanda consilia satis aptae, prope uix natae deprehenduntur. Adeoque nec commodum ex acquisito ab ascendente feudo sentiunt, licet solae adsint, cum ad ipsas non transmittatur, sed desinat cum ipsis in illa linea successio. Nec iuuat foeminas, quod ex se natum filium habeant 2. f. 11. cum impedimentum, quod in matre existit, in nato ex illa se referat, & quod ipsa ius non habet, ad alios transferre non ualeat. Haec in masculinis perpetua sunt feudis, cum marium successio ad naturam pertineat feudi. 1. f. 8. §. 1. Haec proprium sequuntur semper feudum, & mutatio, quae facti est, probanda uenit. Feudum foemininum, quod a foemina primum acquiritur, &, descendentium intuitu, maternum audit
1. f.

1. f. 15. differt ab eo, quod foeminae dicunt. Foeminae enim feudum est, ubi pacto id actum, ut foeminae singulariter, ut conventionis, in certo definito casu, obueniat successio. Hoc emergente, acquirit foemina feudum, sed morte ipsius soluitur tributum personae ius. De hoc uero in praesenti non agimus. Quae in feudo foeminino affulget foeminis, morte acquirentis insecuta, successio, quamdiu adsunt masculi descendentes, remota existit ac suspensa. 2. f. 30. Quae enim singulariter conceduntur, restringenda ueniunt. Imo foemina admissa sexui suo, non nisi postliminio, scilicet, ubi habiles successores defecerint, prospicere uoluisse intelligenda. Ergo proximiores etiam foeminas remotiores masculi excludunt.

III.

Inde exurgit quaestio, an in *Saxonia* foemina in feudo foeminino ad successionem sibi conciliandam opus habeat simultanea inuestitura? Non quaeritur an profit ipsi, sed an necessaria sit? ita, ut, si qua illa non fuerit impetrata, successione excidat foemina, nulloque prorsus ex foeminino feudo potiatur emolumento, nec quidquam iuris, ad personas ex se progenitas, siue mares siue foeminae sint, transmittat.

IV.

Non ago de casu, ubi filia matri, deficiente filio, immediate succedit. Deficere autem dicitur

6 DE SIMVLTANEA INVESTITVRA FOEMINIS

quoque filius, quando quocunque modo inhabilis est ad feudum obtinendum. Non tamen deficit, qui per tempus nequit admitti, sed qui profus est incapax. Ergo de primo inter descendentes gradu laboro, in quo una pluresue adsunt filiae, filii autem desunt. Dum a matre acquirente originem trahit filia, simultanea inuestitura non indiget. Haec enim in collateralis linea ad successionem quaerendam praescripta forma eius proprium manet requisitum & ad descendentes non pertinet. Descendentes appello eos, qui tales sunt ratione ultimi defuncti. Neutiquam igitur illos, qui quacunque ratione a primo acquirente sanguinem ducunt, intelligi uolo. Nam illi, qui, postquam ad lineam deuenit successio, illa extincta, admittuntur, in altera existentes linea, ob communem quem habuere acquirentem, mihi ex latere iuncti audiunt.

V.

Casus potius hic est: Filia a filio in feudo foemino exclusa, hoc defuncto, successionem ambit. Quaeritur igitur, an simultaneam inuestituram impetrasse illam oporteat ad effectum obtinendae successionis? Actū deuolutum esse debet ad filium feudum. Hinc si moriatur, antequam illud acquisuerit, filiae successio non creditur intercepta. Mortuo similis tamen non reputandus, qui priuatur feudo. Cum enim tunc non uacet successio, sed ipso uiuo, feudum dominus occupet, casus, quo filia statim non succedit, & pro
ex-

exclusa agnoscitur, adest. Idem, quod in priuatione, etiam, si alio modo indignum se reddiderit feudo, obtinet. Aliud contra, si natura ad feudum capeffendum habilis non sit, cuius 2. f. 36. meminit. Nam tunc praeterito filio statim filia succedit. Ex legis dispositione u. g. 2. f. 30. pro inhabili agnitus filius tempore deuolutae successione in tali statu existens, pro eo, qui non adest, habendus. Ergo ad nostrum casum, quo filia a filio re uera exclusa supponitur, non pertinet.

VI.

Posito autem, fratrem fato concedere, filiamque ex matrimonio natam relinquere, haec, in cursu amitae, potior erit. Ius enim in linea radicatum illi inhaeret, quamdiu in ista successores adsunt. Et uti descendentium prima est successio, sic defuncti patris soror illam dubiam reddere nequit. Interim fratris filia simultanea non opus habet inuestitura, cum sit ultimi morientis non minus, quam ipsius Pater primi acquirentis fuit, descendens. Praerogatiuam igitur suam non in sexu, quam cum amita aequalem habet, sed in proximitate, ab ultimo defuncto petenda, collocat. Nam primi acquirentis hic nulla habenda ratio, sed, postquam semel facta est ad descendentem feudi deuolutio, morientis linea propinquius ius arguit. Inde quoque emolu-

8 DE SIMVLTANEA INVESTITVRA FOEMINIS

molumentum, quod descendendum proprium est, lucratur, scilicet quod prima inuestitura contenta simultanea indigere non dignoscatur. Sexus uero qualitatem foemininum feudum non respuit, sed potius admittit.

VII.

Fratri autem, si nec filium nec filiam reliquit, soror dubio procul succedit. Nam si post filii mortem filia superstes est, haec, ob proximitatem, quam descendens prae se fert, amitae praeferri meretur. Sine liberis igitur decedente fratre, sorori non obstabit uulgo decantata regula: Foemina semel exclusa perpetuo exclusa manet. Est quippe haec ueterum Doctorum iuris fundamento et ratione destituta traditio, quam sicco & inoffenso pede uenerandae antiquitatis etiam irrationabilis studio maximam partem ducti aliqui sequiori tempore defenderunt. conf. GAIL. L. 2. *Obseru. 148. ubi plures*, In crustata haec regula in expositis Doctorum ea de materia sententiis, quoad casus diuersimode formatos, ubiuis repetitur, ut perpetuo ipsis inseruiat asylo, ceu iis contingit, qui iuris constituti rationes famigeratissima *Lege 20. ff. de Legibus*, seruant. Potius meliori iuris & rationis cum adiumento soror, fratri in feudi foeminini successione postposita, remora sublata, eam adipiscitur. Feudi foeminini hoc

hoc fert natura et concedentis intentio, quae non ad arcendas directa est, sed uocandas ad successionem foeminas. Ordinem, quo sequiorem masculinus praecedat sexus, Lex. 2. f. 30. fanciuit. Hac utendum, non ut tollatur, sed ut differatur succedendi spes. Sinistra praecedens si admitteretur sententia, frustra de necessaria simultanea foeminae investitura quaereretur. Vbi enim ad fratrem semel deuenisset successio, nunquam sorori in linea a latere iuncta existenti successionem sperare liceret.

VIII.

IN Saxonia confectam, quam statuo, credo, sententiam, quod soror, postquam ad fratrem semel peruenit in foeminino feudo successio, deinde eo aspirare nequeat, nisi simultanea sibi prospexerit inuestitura. Faciunt pro me uerba EDICTI TORGAVIENS. d. A. 1583. in Corp. Iur. Sax. p. 482. Zudem auch Vermöge Landüblichen Sächsischen Rechts zwischen den Agnaten und Schwerdmagen seithalben in denen Lehn = Gütern keine andere succession oder Lehnsfolge ist / denn was man durch die sämtliche Belehnung und gesamter Hand überkommt / welche ein ieder Agnat für sich selbst folge thun / und hierdurch die successio und Lehnsfolge proprio facto erlangen muß. Addatur Lehn = Recht c. 32. uerb. im sey denn anderweit das Geding und die Anwartsung daran geliechen.

B

IX.

IX.

Non obstat, quod *P. 2. Conf. 45.* uerba: Gleichgergestalt / so wird die gesamte Hand und Anwartsung durch Theilung der Lehn-Güter vermöge Sächsischer Rechte gebrochen und derowegen sollen / die so sich getheilet / und hiebevör die gesammte Hand gehabt / als dann anderweit Verneurung des Gesamtnis in gebührlcher Frist erlangen / die ihnen auch unwegerlich geliehen werden soll / add. *Lehn-Recht c. 32.* casum diuisionis referant. Quae autem in illa obtinent, ac statuta sunt ad successionis materiam, pertrahi qui possint? Imo uero sufficit praeclusam esse sororem, successoremque euasisse fratrem. Huic cum non ut descendens, sed ut collateralis, succedat, non alia, quam talis in latere constitutus, *Saxonico Iure*, perueniet ad successionem, uia. Eo autem per latus coniuncti neutiquam admittuntur, nisi simultanea; ut supra pluribus dictum, inuestitura fuerint potiti. Sic in feudis primogeniturae, primogeniti, linea finita, secundo genitus non succedit, nisi simultaneae inuestiturae particeps fuerit factus.

X.

Opus itaque habet simultanea inuestitura soror, eamque a domino feudi, antequam inuestitus de feudo fuerit frater, iure sibi expetit. Ut frater pro ipsa intercedat, ac concessionem sollicitet, necessum non est. Cuius ne consensus quidem necessarius est, cum

cum et inuito ipso quaerat, et simultaneam impetret inuestituram. Ergo negotium tantum agitur inter Dominum et laudatam fratris successione[m] obtinentem sororem. Oblationis tempus annum aliud, Sexennium aliud *Lege Saxonica* definitum. Illud *A. 1691. d. 12. Sept.* hoc *A. 1700.* indultum, utriusque tenorem retuli in *Dissertatione de iure offerendi simultanee inuestiendos*. Nostro in casu spatium petendae simultaneae inuestiturae ultra annum non durare putauero. Adeoque *Recessus Prouincialis d. A. 1700. d. die XVII. Martii*, quem secutum est *Rescriptum Regium eod. Ann. d. d. 17. April.* sorori, cuius frater succedit, illamque excludit, non proderit. Mandatum de *A. 1691.* possessori nouiter acquisiti feudi annum tempus ad offerendos simultaneae inuestiendos indulget. Frater in supposito casu non acquirit feudum foemininum, sed post matris mortem ad se deuolutum occupat. Hinc soror ipsius, succedendi spem anhelans praescriptum annum caute attendat, et, intra simile tempus, inuestituram praecise petat, nisi iacturam beneficii quaesiti sentire velit. *d. M. Decretum autem d. A. 1700. d. 8. Febr.* a Rege nostro Clementissimo ad submissas Ordinum Prouincialium preces datum et in *Recessu Prouincial. d. 17. Martii* repetitum, in nouiter modo acquisito feudo oblationis spatium ampliat et ad sex annos extendit.

XI.

Hoc praestructo, necessitas, inuestiturae renouationem petendi, sua sponte sequitur. Ex quo igitur

12 DE SIMVLTANEA INVESTITURA FOEMINIS

tur forori mors, in manu dominante uel seruiente contingens, redditur comperta, *Saxonico iure*, intra annum et sex septimanas, tresque dies, *Jahr und Tag. P. 2. c. 45. verb. Der gesammten Hand aber soll ein jeder dem sie verschrieben x.* inuestiturae renouationem sollicitare incumbit. Non expectare ac differre renouationis petitionem ad tempus, quo ipsi successio patet, ipsilicet. Nam quae in *d. Consl.* in antecedentibus hanc in rem de expectatiua leguntur disposita, eis, quae ante allegata sunt, uerbis opponuntur clareque contradistinguuntur. Quando igitur annum Saxonicum praeterlabi omni in mutationis casu patitur renouationemque non quaerit, iure, quod in feudo habebat, ilico excidit, omnemque successionis spem perdit.

XII.

Jus per simultaneam inuestituram, quod nanciscitur foror, non male expresseris Dominium utile successorium. Illi quod in fideicommissio habet fideicommissarius futurus non absimile. Oritur enim potestas impediendi possessorem, quo re feudali non abutatur, multo minus illam consumat, aut deteriorem reddat cum insigni decremento. Hinc licet Dominus directus consenserit, in simultaneae inuestitae fororis praepudicium nihil cum effectu agit frater Vassallus. Frustra onerat feudum pignore aut constituta etiam ad ipsius instantiam a Domino hypotheca. Haec enim dum reale gignit ius, rem grauat adhaerensque feudo onus producit, quo neutriquam



quam tertium premere infcium, nolentemque potest. Si de factio tale quid fiat, simultanee inuestitae non nocebit. Potius ubi ad eam devenit successio expirabit, cum in eo statu, quo inuestiturae suae tempore feudum fuit, idem ipsi sit relinquendum. Minimum, ubi consensus ipsius requisitus non est, non agnoscat debitum pro feudali, succedens foemina.

XIII.

Multo minus Vasallus frater hoc sibi sumere potest, ut ipsum feudum distrahere aut alienare suscipiat. Idque tam in toto, quam in parte eius obtinet. Permutare pariter prohibetur. Deuincta enim est substantia feudi nexu quodam simultanee inuestitis, ut non feudalis esse incipere nullo, aut quaesito iuri subduci quocumque modo queat. Inde et, quousque demum perduret taciti pignoris ius in foro, factio suo tale producente Vasallo, id nequaquam efficiet, ut illi obnoxium reddatur feudum. Potius, si quacumque ratione eiusmodi enasci possit hypotheca, haec simultanee inuestitam nullatenus obligabit. Quod de dispositione Vasalli inter uiuos assertum, etiam in ea, quae mortis causa fit, iuris est. Unde in omnibus bonis haeres, uel in feudo peculiariter scriptus, qualis tunc aliis haeredibus ex asse uel eius parte scriptis existentibus legatarius in iure agnoscitur, contra simultanee inuestitam experiri nequit. De re enim non sua dis-

B 3

spofuit

14 DE SIMVLTANEA INVESTITVRA FOEMINIS

ipofuit. Adeoque haereditati subducitur feudum, inftar aeris alieni, uel rei ad mafsam non pertinentis. Siue iam actu inueftita fit foror, quae simultanee inueftiri uoluit, fiue non, dictorum aſſertorumque eadem manet conftans ſententia. Nam quod iure ſuo adhuc fruatur ſufficit. Succellionis facultatem non fratri ſed acquirenti debet. Ideo quod non dedit, nec auſſerre, nec imminuere poteſt frater. Iure ſuo uiritur ſemel per inueſtituram ſimultaneam quaefito foror.

XIV.

Si non fuerit inueſtita foror, quod, factu, indignitatem uel inhabilitatem arguente, emergente, euenire poteſt, ſuccedendi ipſius ius omnino interit. Si non uigilauerit, et uel in quaerenda ſimultanea uel renouanda inueſtitura, peccauerit, ſucceſſione feudali recte orbabitur. Adeoque tum alienationi uel hypothecae dationi a Vaſallo ſuſceptae in caſſum ſe opponit. Potius cum eis, quos ex ſua linea producit, omni ſucceſſionis ſpe caret. Ergo aliud obtinet, ſi per illam non ſtet, quin inueſtiatur. Inueſtientiſ enim proprium factum tertio nequit eſſe nociuum. Mora omnis moroſo, non alteri, periculum infert. Tertii quoque facinus non praeiudicat, quod in litis alea quandoque experimur. Idem per iniuriam nunquam calumnioſe ſubornatus litique cauſam dans praecreat. Sufficit itaque ſimultaneam inueſtituram legitime petitam eſſe. Fit illud, ſi ea a Domino feudi ſubmiſſe poſtuletur.

XV.

XV.

Sufficere haec possent instituto, sed placet una alteraque ancipiti quaestione a materia non omnino aliena augere allata. Quid si enim id agatur, ut feudum foemininum uendat? Num foemina ad emendum se offerens admittenda? In uoluntaria et necessaria alienatione nihil pono diuersitatis. Cum enim in utraque possessor quaeratur, quod in una iustum, in altera iniustum nominari non poterit. Qualitas emtoris itaque an attendenda sit? in quaestione est. Feudum, quod uendendum exponitur, foemininum est. Indoles huius non aspernatur foeminas. Casus, quo mares praerogatiuam urgere queant, non existit. Quae enim in successione habent priuilegia ad alienationem transferre nequeunt. In illa quaerit masculus feudum, in hac feudum expectat emtorem. Dispar ratio dispar postulat ius. Sed praestat contraria sententia. Quod feudum foemininum sit, Domini debetur arbitrio, cui licuit, uti placuit, in Sexus Vasalli mutationem condescendere. Huius uoluntas personae familiae, quam admisit, adstringenda est. Alias enim beneficium largius, quam illud conferens intendit, explicaretur. Alienari feudum, naturae eorundem refragatur. De eo igitur transmittendi modo ne cogitasse quidem Dominus directus praesumendus. Inuito autem nouus nequit obrudi Vasallus, maxime extraneus. In casu necessariae alienationis, puta subhastatione, ultra contentum praestitum, eius non induci potest uoluntas.

Licet

Licet enim uendatur feudum, onus tamen, quod spem successione simulataneae Inuestitis et aliquando ipsi Domino praestat, semper cohaeret.

XVI.

Fori usum mihi obiicienti, ubi non modo foemininum, sed masculinum etiam feudum quandoque in foeminam, alienationis titulo, transfertur, distincte respondeo. Masculinum in foeminam non aliter transit, quam ut cum persona acquirentis cessare incipiat foeminea successio, ut adeo idem sit, quod supra foeminae feudum nominauimus. Succedunt igitur in illo, si aliter non in specie conuentum, meri mares, exclusis foeminis, cum acquirens sit modo instrumentum, conciliandi suis descenditibus successione. Manet itaque quoad cetera proprium feudum. Vbi autem in foeminino quoque extranea sub prima acquirente non comprehensa se offert persona, extra dubium est Domini in arbitrio stare, num foeminam admittere uelit, nec ne? Vt enim aliquis ad rei suae dominium transferendum inuitus non adigendus, sic multo minus feudi Directus Dominus eo poterit compelli.

XVII.

Nascitur inde quaestio, an feudum foemininum uenditum qualitatem priorem retineat et in nouum emtorem transferat? Varie illa discutienda. Vbi enim in uoluntaria uenditione nouum emtorem admittit siue marem, siue foeminam, si aliud in confirmatione Instrumenti uenditionis non expresse referatur.

ratur, Dominus directus in personam ementem modo consensit. Quoad successores igitur pro masculino reputandum. Quos enim uerbis in specie non recepit ut Vasallos, eos admittere noluisse iudicandum. Agitur de eius praeiudicio. Suo iuri ut quis renunciasse intelligatur, aperta opus est uoluntatis declaratione. Si ad necessariam uenditionem pertingas, neque debitoris, neque creditorum, neque iudicis factum ipsi officiet. In quantum non clare consentit, in tantum dissensisse intelligitur. Ergo talis emtor, si cum Directo non conspiret Domino nunquam securus erit. De iis, qui alias in feudo ius habent, siue fideicommissarium sit, si forte qualitas feudi non resistat, siue simultanee inuestiti successiue tales sint, idem esto iudicium. Ut itaque emtor certus sit, Domini quoque si non plures interesse habent, consensus necessarius ad feudum in personam ementis foemininum efficiendum.

XVIII.

Nec frustanea erit illa indagatio, si uenditioni sciendae feudi foeminini assentiat Dominus, num ius praesentandi foeminas ad poscendam simultaneam inuestituram pariter concessum credatur? Mea sententia iuris hoc illis hoc ipso datum non uidebitur. Offerendi potestate gaudebant, qui ex foemina primitus feudum acquirente descendebant. Illis emtores non equiparandi. Hi singulari succedunt, non uniuersali haereditatis titulo, si ex iuris Romani sententia rem diiudicare uelis. Certe mentionis titulus ab eo, qui feudali iure per successio-

nem obuenerit, plane diuersus est. Qualitas acquisitionis a qualitate transmissionis toto coelo discrepat. In una non minus, quam altera, eius desiderandus consensus, qui ex illa mutatione sentit damnum. Ultra uerba maxime distinctos actus respicientia non operatur, uel clarius loquendo, non potest credi, operari debere uoluntatem. Hinc in certum consentiens, futurum puta emptorem, alias non ideo una approbare uoluisse censendus personas. Qui foemininum concedit feudum, eo ipso largitur foeminino sexui facultatem, qua in feudali successione alias est destitutus. Neque tamen eandem intentionem consensus in foemini feudi alienationem, aut a foemina, uel quocunque alio per emtionem obtinendi, prodit. Inde recte concluditur, emptorem feudi foeminini, nisi in specie praesentandi ius concessum doceat, eodem uti non posse.

XIX.

Posito autem praesentandi licentiam, uel competere, uel concessam esse feudi foeminini emptori, ipsi tamen foeminam offerendi necessitatem incumbere nemo facile statuere. Fac masculinum in simultaneam inuestituram receptum esse a foemina, quae in sua familia obtinuit foeminarum successione. Num acquirente mortua ab ipsa prognatae foeminae, uel simultaneae inuestitus masculus admittendus? Si ex sexus praecellentia hic emetienda ueniret successio, casus feudali ex iure facile decidendus esset. Haeredes enim descendentes ob masculi existentiam sui exclusio-

clusionem ferre cogentur. Attamen, cum in hoc casu fundamentum successionis ponat et sumat ex uacante stirpe simultanee inuestitus, nec ante allectus uideatur, nisi ubi defectus supplementum postulet, id quod natura simultaneae inuestiturae sat satis innuit, nec praerogatiuam in successione praeripere descendentis poterit, qui mero acquirentis beneficio spem successionis euentualem aucupatus est.

XX.


Ideo tamen neutiquam conficitur, quod in casu, quo foemininum feudum a fratre eiusue descendibus possessum uenditum emtorque simultanee inuestiendos obtulit, hi ipsa sorore potiores sint aestimandi. Idque, ubi tempestiue sibi de simultanea inuestitura prospexit, omni prorsus caret dubio. Sed nec minus praecedit, si ante alienationem consensu Domini peractam, quocumque tempore illa fuerit adepta succedendi iura, ubi possessoris haeredes defecerint. Stetit in arbitrio Domini ad successionem admittere foeminam. Nonne dormienti et tempestiue inuestituram non quaerenti subuenire eodem modo permittendum erit. Res, quamdiu in alienationem suscipiendam non consensit, integra est. Pariter, ubi emtor foeminini feudi haeredibus destituitur, soror, et qui ex ea nati sunt succedunt. Iura enim illius personae Vasalli mutatione haud quam possunt interuerti. Imo ipsius emtoris simultanee inuestiti, antequam soror cum suis descend-

20 DE SIMVL. INVEST. FOEM. IN FEVDO FOEMIN. ETC.
tibus feudum acquiuerit, spem iucceffionis fibi fa-
cere iure non ualent.

XXI.

Fac tandem neglexiffe inueftiturae renouationem
foeminam, cui in feudo foeminino fuccedendi
fpes erat, et exiftere cafum, quo poffeffore uel uo-
lente uel inuito facta feudi alienatio, num emtoris
fimultanee inueftitis iure tribui merebitur fuccelfio?
In negantis tranfeo partes. Factum enim unius fi-
miltanei inueftiti culpabile alteri non largiri fuccelfi-
onem potefl, quam demum extinctis fuis praedeces-
foribus expectandam habet. Potius quemadmodum
Vafallo feloniam committente, quamdiu ipfius habi-
les adfunt haeredes, fimultanee inueftitus, aut expe-
ctatiuam habens ad feudi fuccelfionem non admitti-
tur, fic eadem ratione nec emtoris fimultanei inue-
ftiti, antequam in hoc iure ipfos praecedens foemi-
na cum fuis defcendentibus in uiuis effe defie-
rit, fuccedendi ius anhelabunt, fed ufque
dum cafus ille euenerit, Domino
relinquent

T A N T V M.




ULB Halle
003 612 635 3



Sb.







DISSERTATIO IVRIS FEVDALIS SAXONICI

DE

SIMVLTANEA

INVESTITVRA

FOEMINIS

IN FEVDO FOEMININO

AD SVCCESIONEM NECESSARIA

QVAM

PRAESIDE

DOCTOR. LVDOVICO MENCKEN

ICTO

COLLEGIORVM QVAE VITEMBERGAE FLORENT
DICORVM OMNIVM, NEC NON IVDICII DVCALIS
IN MARCHIONATV LVSATIAE INFERIORIS

ASSESSORE

IN AVDITORIO ICTORVM

D. IVN. A. M DCC XXVIII.

TVEBITVR

IOSEPHVS GOTTHELFF MANITIVS

BVRKHARDSWALD. MISN.

VITEMBERGAE, LITERIS VIDVAE GERDESIAE.